



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. III. Vtrùm ea quæ fides Catholica nobis credenda supponit,
demonstrentur euidenter credibilia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

Caeteran.
Valquez.

in vna, an in tribus personis, nihil possumus naturaliter cognoscere. Atque ita euidenter omnia argumenta circa fidem allata refutamus, clarè ostendendo nullum esse, quod sufficienter probet intentum. ita Caeteran. 1. p. q. 1. a. 8. §. Circa tertiam. & Valquez disp. II. c. 3.

D V B I V M III.

Vtrum ea quæ fides Catholica nobis credenda proponit, demonstrentur euidenter credibilia?

70

Hoc dubium præcipuè proponitur vt possumus clarè videre quanam fides sue religio inter varias, quas variæ gentes amplectuntur, sit præponenda. Queritur igitur vtrum euidentibus signis aut notis, quæ in solam veram religionem possint conuenire, possit clarè demonstrari, solam fidem Catholicam esse, quam vt à Deo reuelatam prudenter amplectaris. Aliter hoc dubium soler proponi, scilicet: Quæ sint notæ veræ Christi Ecclesiæ? eadem enim est quæstio; nam cum vera Ecclesia Christi esse nequeat sine vera fide, illa inuenta, hæc etiam in ea necessarîo reperitur.

71

Demonstrari potest quæ sit vera Ecclesia, & veræ fides.

CONCLUSIO I. Omnino tamquam certum statuendum est, posse clarè demonstrari quæ sit vera Christi Ecclesia ac recta fides. Est communis Catholicorum: & probatur Primò, quia cum Deus velit nos firmissimè & constantissimè tamquam omnino indubitata credere ea omnia, quæ vera fides credenda proponit, & priuatos æterna salutè perpetuis poenis subiciat eos, qui hac deserta aliam sequuntur; omnino ad ipsius prouidentiam spectat, veram fidem ac Ecclesiam talibus notis insignire ac spectabilem reddere, vt ab omnibus in hoc seruo, & ea qua decet diligentia & affectus sinceritate incumbentibus facillè reperiri possit. Alias enim si Ecclesiam suam reliquisset obscuram & omnino inuisibilem in aliquo angulo delitescerent, prout hæretici volunt; meritò homines communiter potuissent excusari, quod eam non reperissent, nec in eam fuissent ingressi.

Psalm. 92.

Matth. 5.

Probatur Secundò, clarè ex scripturis. Nam psalm. 92. dicitur: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* id est, clarissimè multis argumentis, signis ac prodigiis demonstratum est, tuam legem essetalem, quam meritò omnes credant à te latam esse. Item Dominus Matth. 5. comparat veram Ecclesiam ciuitati supra montem positæ, quæ abscondi non potest, quia scilicet tam illustres sunt veræ Ecclesiæ ac fidei notæ, vt quisquis qui ingenium ad eam cognoscendam intendit, facillè eam cernat, sicut ciuitatem excelso ac illustri loco positam, eamque ab alijs falsis conuenticulis etiam facillè discernat.

72

CONCLUSIO II. Notæ quibus vera Christi Ecclesia insignita ab hæreticorum conuenticulis discernitur, conueniunt soli Ecclesiæ Catholice ac Romanæ. Quod vt demonstrari possit, primò statuendū est quæ sint illæ notæ quibus vera Ecclesia à falsâ debet dignosci. De his autem & earum euidentia pulcherimè scripserunt, ex PP. Eusebii in Præparat. Euangelica.

Euseb.

S. August. 1. contra Epistolam fundamenti. Vincentius Lirinensis in suo commonitorio, & alij. Ex Scholasticis S. Thom. contra Gentes. Scotus D. Thom. in Prologo. Medina l. 2. de Recta in Deum fide. Valentia 2. 2. disp. 1. q. 1. puncto 7. & in sua Analyti. Bellarm. l. 4. de Ecclesia militante. Lessius in sua Consult. de fide capessenda. & breuiter ac elegantissimè Campianus in 10. suis rationibus ad Academicos; & fusissimè Thom. Bosius. & alij, ex quibus eas licet fusè discere. Quare ne in re toties tractata longior sim, solū vnā atque alteram tantū hic breuiter & modo populari proponam, vt qui hæc legunt aliquid promptum habeant quo veram Ecclesiam demonstrent.

Prima igitur est doctrinæ puritas & cum recta ratione in omnibus cõformitas, quæ in Ecclesia Catholica reperitur: si enim spectes ea quæ docet de Deo, omnia talia sunt, vt in ijs nihil possit ostendi aut diuinæ naturæ repugnare, aut Deum dedecere. Contrà verò omnes sectæ & hæreses aliquid continent & de Deo affirmant eo indignum, vt patet de Gentilibus, tam antiquis quàm modernis, qui multa fœdissima aut ridicula de suis dijs commenti sunt; sicut etiam Iudæi postquam à vera fide defecerunt, Deo multa illo indigna tribuunt. Similiter euidentissima mendacia de Deo eiusque prouidentia docuerunt Manichæi, Cataphryges, Montanistæ, Turcæ, & similes, ac etiam nostri temporis hæretici; qui, vt ex eorum scriptis optimè ostendit Bellarm. l. 2. de amissione gratiæ c. 3. 4. & 5. faciunt Deum auctorem peccati. Item Caluinus facit Christum minorem Patre, & tantum non meram creaturam. vt ex eius scriptis docet Bellarm. in præfatione tract. de Christo; vbi plures aliorum præcipuorum huius temporis hæreticorum circa mysteria Trinitatis blasphemias profert. Item Caluinus & quidam alij hæretici docent, Christum voces desperationis plenas in cruce emisisse, & mortuum poenas inferni expertum. vide Campianum ratione 8. v. Campian. bicorum verba adfert.

Habet quidem fides Catholica multa, quæ sunt supra humanum caput: qualia sunt quæ credimus de mysterio Trinitatis, Incarnationis, Passionis Christi, Vener. Eucharistiæ: sed quid mirum, aut nos naturam diuinam non posse capere, qui ne quidem animæ nostræ naturam intelligimus: aut Deum multa facere quæ non capimus; cum etiam nos ipsi multa agamus quæ quomodo fiant non satis intelligimus? Quid enim homini est familiarius quàm videre? & tamen hæcenus repertus est nemo qui qua ratione hoc fiat satis potuit explicare. Imò Deus nec omnipotens, nec immensus & perfectione omnino infinitus atque adeo nec Deus esset, si possemus eius naturam & potentiam tantillis ingenijs concludere. Ridet quidem hæretici tamquam Deo indigna quædā, quæ de Christi præsentia in Ven. Sacramento eiusque sumptione credimus. Sed simili planè modo ac Gentiles & Iudæi ridet Christi passionem.

Rursus si ea quæ ad mores spectant consideres, verè de Ecclesiæ doctrina dicitur, psalm. 11. *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne*

73
Nota veta
Ecclesiæ.

Bellar.

74

Deus non
esset Deus,
eum posse
mus cõpre-
hendere.

75

Psalm. 11.

ENA-

examinatum, probatum terra, purgatum septuplum. Quod in solam Catholicam conuenit, cum omnes aliae sectae aliquid permittant, aut etiam laudent, quod est apertissime contra rectam rationem, ut videre est apud Bosium signo 55. ubi id multis exemplis demonstrat. Hic duo solum adferam omnibus nostri temporis haereticis communia, & quae apertissime absurda sunt. Primum enim fatentur omnes, & recte, fidem legitimè homini datam seruandam esse, atque ita eum perfidè facere, qui datam uxori fidem frangere a deferta alteram ducendo; & tamen simul omnes docent, eos qui per vota castitatis aut etiam paupertatis ac obedientiae se Deo obligarunt, consilia Christi sequendo, ac se castrando propter regnum caelorum, licitè fidem Deo datam fallere, atque ita licitè in Deum perfidos esse. Quod ita aperte cum rectorum pugnat, ut non solum ab omnibus semper Patribus, totaque Ecclesia Catholica sit damnatum, sed etiam ab omnibus Gentilibus pro grauissimo scelere sit habitum: atque adeo semper impios ac sceleratos reputarunt omnes, qui diis promissa non soluere.

76 Secundò, quia quando nos eorum errores oppugnamus, nolunt admittere vlla argumenta nisi ex sola Scriptura, & hanc vnam volunt iudicem omnium controuersiarum fidei; & quia docemus, definitiones Conciliorum esse indubitanter credendas, ac Scripturam intelligendam eo sensu quo Ecclesia definit eam esse intelligendam, dicunt nos impiè facere, & Concilia praepone re Scripturae. Contrà verò cum sua conantur stabilire, conciliabula conuocant, & multa de fidei dogmatibus statuunt, quae ab omnibus ut certa & indubitata credi volunt, & sibi subiectos ad hoc quibus possunt modis adiungunt, nolentes obedire exilio aliisque grauius poenis multando; nec vllam à suis decretis ad Scripturam appellationem admittunt, ut patet vel ex nuperrimo Batavorum facto in conciliabulo Dordracensi, multisque aliis conuentualibus à Germania Protestantibus habitis: quatinus non solum contra apertissimam rationem agunt (ut ostendit disp. 12. dub. 5.) sed se ipsos clarissime damnant, similesque se ostendunt fraudulentis mercatoribus ventibus dolosa statera, & alio pondere dum emunt, alio dum vendunt: quos Deo esse abominabiles testatur Scriptura Deuteronomio 25. v. 16. & Prouerbis 11. v. 1. Ex quibus etiam clarè patet, eos nihil aliud querere quam fraudibus veritatem occultare ac opprimere, ut suos errores pro ea vendant.

Haereticorum
fraus.

Dist. 25.
Prin. 11.

77 Ad hac fortè respondebunt, se merito ab alijs exigere ut à se definita credant, quia aperte hac in Scriptura habentur. contrà verò se iure damnare Concilia Catholica, quia ea definiunt quae sunt contra Scripturam. Sed alij vnumque negant, aiuntque horum definitiones esse ex mente Scripturae, vestras verò eidem repugnare: utis credendum? quis huius litis erit arbiter? si enim vllus homo hic iudex dandus sit, sanè nullus aptior generali Ecclesiae Praelato Concilio; qualia fuerunt Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense, aliquot Constantinopolitana, ac Lateranensia, Viennensè, Flo-

rentinum, ac demum Tridentinum. Si verò nullorum hominum, sed solius Scripturae canonicae (ut nobis continuò occlamaris) hac in te arbitrio standum est; cur huius officium vobis sumitis, asserendo indubitanter credendum esse decreta vestra ex mente Scripturae esse confecta, omnesque ut ea recipiant quantum potestis cogitis; cur id quod in Concilijs generalibus ac Ecclesia Catholica damnatis, vobis arrogatis? sanè vel hoc ipso palam omnibus ipsa luce clarius facitis, vos uti statera dolosa ac vario pondere, Deoque esse abominabiles.

Secunda nota est sanctitas. Vbi Nota, ex omnibus historiis experientiaque quotidiana constare, in Ecclesia Catholica innumeros omnibus aetatibus vixisse viros sanctissimos, quorum sanctitatem ante & post mortem Deus miraculis testatur est. Alia verò omnes sectae ne vel vnum possunt ostendere, quem ex eiusmodi signis aut alia euidenti ratione constet fuisse sanctum, aut quem communiter omnes etiam aduersarij fateantur esse sanctum, quales plurimos reperimus in Catholica religione. Nam Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Athanasium, Basilium, & plures alios SS. Patres non modò Catholicos, sed etiam haeretici fatentur fuisse sanctos; & tamen ex eorum vita & scriptis euidenter constar non fuisse aut Lutheranos, aut Caluinistas, aut Anabaptistas, aut similes; sed Catholicos. Nam ut alia taceam, haeretici nostri vitam Religiosam ac vota castitatis maximè detestantur: illi autem vel Religiosi fuerunt, vel Religiosae vitae laudatores. vide Campianum ratione 5. & 10. Lessium consil. 3.

79 Respondebunt ipsi fortasse, se multos Sanctos habere, ac nominabunt nobis Lutherum, Caluistum & similes, quos ipsi sanctos vocant, sed suo solo testimonio; nam alij eos homines nefarios reputant. Querimus autem nobis huc tales dari, quos non vnus solum, sed vtriusque partis testimonio constet esse sanctos, aut saltem testimonio ipsius Dei, miraculis eorum sanctimoniam attestantibus. Eiusmodi autem nos damus Catholicos: nam Basilium, Nazianzenum, Benedictum, Antonium, Bernardum, & similes fuisse sanctos etiam aduersarij testantur: cum constet eos fuisse monachos, non poterit fuisse Lutherani, Caluinistae aut similes monachorum iurati hostes; atque ita necessariò fatendum est fuisse nostros. Adferimus praeterea Dominicos, Franciscos, Ignatios, Xaueros, aliosque innumeros, quos omnes fatentur fuisse nostrae religionis; quos Deus tamen infinitis propè miraculis, secum in caelo beata frui vita quotidie testatur.

80 Vnde sic argumentor, Clarè constat, dictos eadem via quam nobis praescribit Catholica Ecclesia, ad caelum contendisse; item constar eos hac via incedendo ad caelum peruenisse: ergo quicumque cupit ad caelum securè peruenire, merito eadem cum ipsis via incedit, & stultè ingreditur illa, per quam non potest probare vllum ad caelum peruenisse. Priorem partem antecedentis quoad S. Dominicum, S. Franciscum, &c. etiam aduersarij admittunt. Secundam verò partem Deus frequentibus mi-

raculis quotidie penè testatur. Consequentia est clara.

Nec est cur mihi obiicias Apostolos, quos constariam Deo beatè frui: quia sicut hos aduersarii sibi, ita nos, & quidem longè maiore iure, eos nobis vindicamus. Quærimus autem hîc tales, de quibus apertè constet non solum eos cælum iam esse ingressos, sed etiam eadem cum iis via incesse: qualem nullum umquam dabunt; ideoque iniquè à nobis exigunt ut eorum vestigiis insistamus.

31
Nullus com-
muniter à
Catholicis
deficit ut
melior fiat.

Huc accedit ipsa experientia; videmus enim quotidie multos ab hæresi ad Catholicam fidem redeuntes vitam in melius commutare; ferè autem omnes qui à nobis ad illos deficiunt, id agunt, ut liberius vivant, & ne ulterius teneantur castitatem, ieiunia, & similia quæ carni graua sunt, obseruare. Testantur id innumeri sacerdotes ac monachi apostata: qui statim atque ad illorum castra peruenerint, nihil habent antiquius quam ut contra fidem Deo datam incestis sibi nuptiis aliquam copulent, qua cum libidinem suam expleant: quasi id vnum agerent ut palam omnibus faciant, se ideo desinere militare Christo ut veneri stipendia faciant. Vnde sequitur, in solam Catholicam fidem conuenire illud psal. 118. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* scilicet ab iniustitia ad iustitiam, à venere ad Christum.

Psal. 118.

82
Solorum Ca-
tholicorum
est Gentes ad
fidem con-
uertere.

Vbi etiam diligenter notandum est, pluri-
mas regiones à paganismo ad fidem Christianam per Catholicos esse conuersas: nulla autem gens hæcenus per hæreticos ad fidem Christianam fuit adducta, ita ut ipsi hæretici primi ad illam gentem, ut eam conuerterent, se contulerint. Quod addo propter Gothos, qui primò à Catholicis ad fidem Christianam allecti, postea ab Arianis ad arianismum inducti sunt. Vnde etiam tam olim legimus factum, quam etiam nunc videmus, multos Catholicos ad barbaras Gentes, villas ad fidem conuertant, penetrare, nullos verò hæreticos iis conuertendis, sed solis Catholicis peruertendis operam suam impendere. Nec enim aut Lutherani aut Calvinistæ vel vnam gentem per suos à paganismo ad fidem Christianam conuersam recensere possunt, imò nulli ex ipsis hæcenus quid simile tentarunt. Quo vel vnico clarè ostendunt se non Christo, sed eius hostibus militare, vide Lessium confid. 5.

Hæretici so-
lis Catholi-
cis peruer-
tendis dant
operam.

83
Matt. 7.
Qua ratione
mala bona-
ne fides ex
vita ipsam
sectantium
debeat dig-
nosci.

Huc etiam spectat illud Matth. 7. *Omnis arbor bona fructus bonos facit, arbor autem mala malos fructus facit.* Vbi Nota, ut ex vita colentium aliquam fidem colligas, an hæc bona vel mala sit; non esse tantum spectandum an aliqui priuatim inter illos benè vel malè viuant, sed qua ratione communiter viuant. Item an quoddam benè vel malè viuant proveniat ex ipsa doctrina aut fide quam sequuntur, an verò ex particulari aliquorum, quibendè vel malè viuunt, ingenio siue inclinatione. Quare maximè spectandum est utrùm ipsa fides siue doctrina illius fidei ex se sit nata bonos vel malos mores gignere. Fides autem Catholica ex se docet ea omnia quæ nos possint ad fugam vitiiorum exercitiumque virtutis excitare: v. c. non tantum nos posse man-

data Dei obseruare, sed etiam ad hoc teneri: laudabile esse consilia Evangelica sequi: nos bonis operibus augere nostram gloriam; & contra peccatis augere supplicium: in nostra potestate esse cum gratia Dei vitia fugere & bene operari; & consequenter in cuiusque potestate esse, si velit gratia Dei cooperari, efficere ut sit inter electos, & ad cælum perueniat.

Contra hæretici docent nos bonis operibus nostris non mereri gloriam apud Deum; impossibile esse seruare mandata Dei; consilia Evangelica non esse sequenda; nos non habere liberum arbitrium, siue non esse in nostra potestate benè vel malè facere. Item Deum ab æterno sine vilo respectu ad futura hominum opera, præcisè ad ostendendam suam misericordiam ex vna parte, & seueritatem in puniendis peccatis ex altera parte, planè absolute statuisset aliquos saluare, aliquos damnare, ita ut in nullius sit potestate benè vel malè viuendo efficere ut potius sit electus ad gloriam quam destinatus ad pernam. Quæ si homines semel apprehendant, nihil erit cur à vitijs ad virtutem auocentur. Ad hoc enim maximè nos incitat spes præmij, & timor pænæ. Si igitur quis firmiter credat non esse vilo modo in sua potestate efficere ut sit inter electos, atque ita saluetur; aut ut non sit inter reprobos & damnandus; quomodo aut spe illius, aut timore huius poterit excitari ut bene viuatur? vide Lessium supra confid. 1. & 2. ratione 8. & 9. & Rosium signo 50. v. lq. 58.

Tertia nota sunt miracula diuinis supra omnem vim naturæ edita in testimonium nostræ fidei, quæ variis in locis quotidie adhuc fieri videmus, præsertim in iis omnibus, ubi fides fuit recens inducta. Vnde sequitur, nostram fidem esse eam, quam qui crediderint (ut habetur Marc. ultimo) eos hæc signa sequentur. *dæmonia eijcient, &c.* & quam Apostoli profecti predicauerunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

84

Cum contra hæretici nullo umquam miraculo, quantumcumque id conati sint, potuerint suam fidem probare. Ex quo clarè patet, eos non annunciare eam fidem, quam Christus promissit miraculis plantandam ac confirmandam.

Ut autem aduersarii hanc notam ita claram nobis eripiant, malitiosè calumniantur eiusmodi signa à Catholicis fieri ope dæmonis: sed hæc in re imitantur Iudæos & Gentiles, qui similis modo olim calumniabantur miracula Christi & Christianorum fieri arte dæmonis.

86

Quod autem illa calumnia nullam habeat speciem veritatis, vel inde patet, quod ferè omnes ii qui hæc miracula parrarunt, fuerint summa vitæ innocentia; quales non sunt ii, qui dæmoni sunt familiares, cuiusque opera viuunt. Deinde quia spectat ad diuinam prouidentiam non permittere, falsam doctrinam tam illustribus signis confirmari, quæ ipse Deus in Scriptura apertè nobis constituit tamquam præcipuas notas, ex quibus cognoscemus aliquam doctrinam ab eo proficisci, ut patet ex illo Marci ultimo supra citato.

Hæretici imitantur Iudæos.

Miracula Catholicorum non fieri arte dæmonis.

Ad Deum spectat non permittere, ut falsa doctrina illustribus signis confirmetur.

Vnde omnes aliæ sectæ, quantumcumque id

id

id conarentur, numquam vilo miraculo etiam per operam demonis potuerunt suam hæresim confirmare, ita saltem vt non statim omnibus pateret eos hac in re præstigijs vt; vt patuit, in magis Pharaonis decetratibus cum Moysè, qui tandem coacti sunt fateri, sola opera Moysis diuina virtute siue digito Dei fieri. Item in Elyma certante cum S. Paulo, & Simone Mago certante cum S. Petro, & patebit in Antichristo certante cum Elia & Enoch.

87 Respondent quidam hæretici, facere signa & prodigia esse signum Antichristi, vt dicitur 2. ad Thessal. c. 3. v. 9. & Apoc. 13. v. 14.

Respondet, facere signa mendacia, siue quæ non sunt vera miracula, sed præstigiæ & illusiones oculorum, esse Antichristi & hæreticorum, non autem facere vera miracula, quia Scriptura, vt iam ostendi, docet horum patratiorem esse veram & certam notam rectæ fidei. Omnia autem signa quæ Antichristus faciet, erunt talia, quæ constet arte demonis fieri posse, & ferè vana & ludicra, qualia à præstigiatoribus fieri solent. Secus est de signis quæ à Catholicis fiunt in confirmationem nostræ fidei, qualia sunt excitatio mortuorum, illuminatio cæcorum, & similia, quæ demon facere nequit, vide Bellarm. l. 4. de Ecclesia milit. c. 14.

88 Quarta nota illustrissima, est consensus omnium orthodoxorum in nostram fidem ab orbe condito, & maxime post natum Christum vsque in hunc diem; quæ nota euentissimè nostræ fidei, & quidem soli conuenit. Nulla enim est hæresis aliaue secta cuius initium non possit ex historiis ostendi, vnde sic argumentor: Cum vnicus sit Deus, tantum potest esse vna vera fides: iuxta illud ad Ephes. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.* & iuxta illud certissimum & receptissimum: *Veritas est simplex & vna, mendacium multiplex.* quare falsæ religiones sunt plures; vnica sola potest esse vera: atqui sola nostra fides ab orbe condito hætenus mansit inuariatæ: ergo sola est vera. Minor probatur: quia possumus singulis ætatibus ante Christum in populo Iudaico, & post illum in omnibus notioribus mundi partibus aliquos designare, qui eamdem nobiscum fidem tenuerunt, nec possunt hæretici ostendere quando vnquam aut inceperit aut variata sit nostra fides. quod gloriolus Christi Martyr Campianus in ratione sua 7. clarissimè demonstrat. Cum contrā constet quo tempore singulæ aliæ sectæ inceperint, ante quod neminem possunt ostendere, qui idem in omnibus cum ipsis senserit: & statim à suo ortu singulæ fuerint in varias sectas diuisæ; vt ex historiis & quotidiana experientia potest ostendi.

Veritas vna, mendacium multiplex. Sola fides Catholica manet inuariatæ. Campian.

Quare à nobis solis stat omnium sæculorum consensus, stat fidei vnitas, & consequenter veritas; vnde pulchrè S. August. contra Epistolam fundamenti c. 4. ait: *Tenet me in Ecclesia consensus populi atque gentium, tenet auctoritas miracula inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata.*

Hæc nota tam aperta est, vt vel ipsi hæretici quandoq; vi veritatis victi eam à nobis stare fateantur. Hinc Lutherus lib. de Abroganda Missa priuata, Protestor, inquit, aduersus eos qui aduersus me sunt clamaturi, quod contra statuta Patrum, contra receptissimum vsum docuerim; horum me nihil auditurum. & Calvinus l. 4. Institut. Sed enim (ait de Catholicis) qui sic faciunt habent veteris Ecclesiæ exemplum: fateor, verum in re tanta nil tutius quàm veritatem ipsam sequi.

Vbi ridiculè quando hoc argumento premuntur, clamant magis Scripturæ credendum esse quàm Patribus & totantiq; quasi sicut Patres & tota antiquitas apertè pro nobis faciunt, ita Scriptura clarè pro illis statet; & tantum esset questio vtrum Scripturæ magis quàm Patribus sit credendum. Cum contrā tota questio sit, an in Scriptura explicanda magis sit credendum omnibus Patribus ac Ecclesiæ Doctoribus viris doctissimis & sanctissimis, atque adeo toti antiquitati, quæ simul cum Scripturis earundem explanationem & sensum ab Apostolis accepit, & posteris tradidit; an, inquam magis his credendum sit quàm aliquot apostatis & fugitiuis monachis, aut Grammaticis, & id genus hominibus qui nihil præter carnem & sanguinem sapiunt, & vt liberiùs possent viuere Ecclesiam deseruerunt, vide Bellarm. l. 4. c. 9. de Ecclesia militante. Plura hac de re afferri possent: sed quia apud auctores suprā citatos facile reperiri possunt, hæc sufficient.

Dices, Si credibilitas nostræ fidei esset ita euident, videretur fieri non posse vt tam multi, aliàs etiam bono ingenio, eam credibilitatem non videant.

Respondeo, multos eam videre, qui tamen vt liberiùs suis voluptatibus indulgeant, eam non amplectuntur, aut etiam ob dominandi libidinem (vt de Diotrepe testatur S. Iohannes in sua epistola 3.) aut vt ex hæresi nomen aliquod aucupentur, aut propter odium aliquorum Pontificum aut Episcoporum (vt videtur Tertulliano & Luthero accidisse) Ecclesiæ auctoritatem & doctrinam aspernantur. Alii verò occæcati amore voluptatum ex priuato affectu nimium suis sectis addicti, etiam claram veritatem nequeunt aspicere: nam in rebus non omnino euidentibus cognitio veritatis multum pender ab affectu.

August.

89

Lutherus.

Calvinus.

Abstrusa hæreticorum argumenti elusio.

Bellarm.

90

Cur multi veritatem nostræ fidei aut non videant, aut se videre dissimulent.